

<sup>a</sup>  
Quando Faventini juverunt Ubertinum de Tebaldo contra  
Petrum Traversarium.

## CAP. LXXX.

Discordia nata non modica inter Petrum Traversarium et Ubertinum de Tebaldo, occasione hereditatis Iohannis Duxis jam defuncti [A], generi praedicti Petri Traversarii, Faventini in partem cesserunt Ubertini. Anno itaque Domini MCLXXXI, Faventini, ducentes secum molenses, ad servitium Ubertini militaverunt in planum Ravennae, capientes et destruentes Sanctum Petrum ad vincula [B] et cetera loca Iohannis Duxis usque ad Urbem. Castrum vero Curtinæ igne hostiliter combusserunt.

*De prima destructione Bagnacaballi.*

## CAP. LXXXI.

Sub anno Dominicæ incarnationis MCLXXXI, Bagnacaballenses, more arundineo in partem dexteram sinistramque stepissime declinantes, cives urbis Ravennæ atque Faventiae offendere vicissim non verebantur. Ravennates igitur atque Faventini, finem tantæ nequitiae [a] imponere volentes, amicitia inter eos jam juramento firmata, burgum Bagnacaballi penitus destruxerunt, omnibus nobilibus utrique <sup>naturatis</sup> communitatib[us] <sup>contati</sup> [b] divisis aequaliter. Anno eodem, Faventini, in veritate scientes quod Ravennates prædictum burgum reædificare volebant, tunc et ipsi reædificari permiserunt, recipientes a Comitibus bizantium [c]. *Lurum annuatim*

*De admiranda translatione Constantinopolitani imperii.*

## CAP. LXXXII.

Quamvis aliquantulum a proposito nostro videamus facere digressionem, tamen, quia [d] credimus posteris profuturum ad utilitatem legenfium ac audiencium, que-

[a] tantæ nequitiae. Sic C. V. In C. M. deest, nequitiae, quare supplendum credit Cl. Mitt., tantæ molestiae. — [b] utrique communitati. Sic lego. Cl. Mitt. et C. V. habent, utrinque. Contati habere videtur C. M. clarissimo Mittarellio; mihi vero legi posse videtur Communitati. An legendum utriusque comuni? — [c] bizantium, C. M., bisantium, C. V. — [d] tamen quia. Sic lego; tum quia, C. V.; dunque, Cl. Mitt.

[A] Ioannes Dux, gener Petri Traversarii, vita functus est anno MCLXXVIII., (Vid. Annal. Camaldul. Cl. Mittarelli, Tom. IV, pag. 78.) Traversaria, unde Petrus denominabatur, locus erat ad dexteram fluminis Anemonis, decem circiter milliariis ab urbe Ravenna. Alius tamen locus huiusc nominis apud Blondum invenitur, qui vietus erat ad Anemonis in Padusam ingressum.

[B] Castrum Sancti Petri ad Vincula in agro Ravennate erat; ibique olim erat Abbatia Ord. Camaldul. appellata Sanctus Petrus ad Vincula ex Cl. Mittarellio. Nominatur in charta anni 1194 (H 3789, et 1357, E 1243, Archiv. Archiep. Ravenn.), ubi dicitur spectare ad dioecesim Ravennatem.